

transmissa per Angelum nomine Dei, ac Christi, ut dixi in Expositione, & est verus, ac legitimus sensus.

73. D. Ambrosius, D. Bruno, Rupertus, Ansbertus, Joan. 1.

Tamen pro amplificanda doctrina non praetermittam, quod gravissimi Patres, ut D. Ambr. D. Brunonius Aftenfis, Rupertus, Ansbertus, & multi alii, qui hoc intelligunt de illustrissimo Divinitatis testimonio, quod Joannes intonuit dicens: In principio erat Verbum, & si hoc intelligatur de eo quod Joannes scripsit in suo Evangelio, sustineri non potest: nam Joannes post scriptam apocalypsim litteris commendavit suum Evangelium, ut cum communi sententia dixi q. 5. proemiali, n. 43. si autem intelligatur de testimonio, quod Joannes praedicando dabat de Christi Divinitate ob quod in ferventis olei dolium coniectus est, & in Pathmos insulam relegatus, tunc est probabilior interpretatio.

74. D. Augustinus, Joannis testimonium sublimis super omnia, & etiam super ipsum Joannem.

Valde aliud, & sublime est hoc Divinitatis testimonium, quod Joannes de Christo profert. Unde ait D. Augustinus tract. 20. in Joannem: Joannes Evangelista transcendit carnem, transcendit omnes spiritus, qui non videntur, transcendit mentem suam, ratione animi sui. Transcendens ista omnia, supra se fundens animam suam, quod pervenit? Quid vidit? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Quid nobilius ac illustrius? non solum super omnes creaturas evolavit, sed etiam super se ipsum, transcendit mentem suam. Et iterum, super se fundens animam suam. Vidit quatuor Animalia, Ezec. 1. n. 10. & ait: Facies autem Aquila desuper ipsorum quatuor. Unum animal ex quatuor erat Aquila: Quomodo ergo supra ipsam? tam sublimis fuit Joannis volatus, ut se ipsum transcendere superque se ipsum evolaverit, ut ex D. Gregorio dixit tom. 5. in Evang. lib. 9 c. 8. quae. 8 n. 48.

75. Marc. 3. Joannis testimonium intonat, & radat super omnem conditionem.

De Joanne, ac fratre ait D. Marc. 3. n. 17. Vocavit eos Boanerges, quod est Filius tonitru. Tonitrus ex congelatione terrena gignitur, & nube rupta solvitur, & valde sublimis radiis coruscantibus super omnem humanam conditionem strepit: sic Joannes ex terrenam origine genitus super omnem humanam conditionem valde sublimis, ac mirabiliter radiis, ac splendore divinae generationis nobis annuntiat, intonat per totum mundum Elias Cretenf. orat. 24. Naziana. n. 20. Ob Theologia celestem, ait, quandam sublimitatem, tonitruum filium in Evangelio nominavit Dominus, cum quo scilicet hunc, ut tonet, adhortatur, nihil humile de Deo sonant, sed altum, ac sublime, Deum nempe, ac Deum verum ex Patre Verbum illud agnoscens.

76. Damian.

Unde ait Cardinalis Petrus Damianus serm. 64. Redemptor noster, ait, dilectum sibi speciali prerogativa discipulum ad declarandam suam Divinitatis essentiam, quoddam quasi organum fecit. Res mira! Divinitas non actus corporis est, non organicis distenditur sensoriis, nullis intercluditur ad officia carnis ambagibus; id animae proprium est, quae actus corporis organici diffinitur. Quomodo ergo Deitas, quod suprema natura recusat, corporeum Joannis organum ambit? Anima cum sit actus corporis organici, per corporis organa suas operationes exercet, ac vitales functiones ostendit, & declarat: Suae Divinitatis essentiam quoddam quasi

Joannis organum Divinitatis.

organum fecit. Ac sic alicui modo dicam, pro anima, organi corporis actu, Deitas Joanni veluti infundebatur lumine suo, & per Joannem miras operationes edidit, ita ut Joannes diceretur discipulus Christi dilectus, per Joannemque declaravit, manifestavit, ac ostendit suam sublimitatem, celsitudinem, ac fecunditatem, & aeternitatem, cum ipse intonuit: In principio erat Verbum, &c.

Dices: Joannis testimonium de divinitate, quamvis illustrissimum sit, non est tamen singulare: nam etiam Petrus a divino Spiritu illustratus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Matth. 16. n. 16. An hoc Apostolicae petrae proprium est? Imo & Marthae commune fuit, quae dixit: Tu es Filius Dei vivi. Joan. 11. n. 27. At quod Joannes protulit testimonium: In principio erat Verbum. Nullius unquam linguae commilsum, singulariter Joanni reservatum, ac concessum est solus ille Divinam Christi generationem scripsit, ut Cerinthum, Thionem, ac alios haereticos refutaret: solus ille clarissime Christum dei Verbum appellat, ad maxime explicandam ejus divinam generationem per intellectus actum. Idem damianus citato loco Planè, ait, quod uterque discipulus protulit de sacramento Dominicae fidei, quamquam profundissimum sit, atque omnino divinum, nec videatur in excellentia dignitate diversum, quod eodem est spiritu dicente prolatum: illud tamen Beati Joannis singularitatis locum sibi vindicare conspiciat, quia nec ante illum, nec post illum, hoc idem scripsisse aliquis invenitur, nam illam B. Petri Apostoli sententiam, & Mariam sororem Lazari eisdem ferè verbis legimus protulisse.

77.

Matth. 16.

Joan. 11. Joannis testimonium valde singulare.

Damian.

QUESTIO XII.

Quare legens hunc librum, Beatus dicitur?

Ansbertus. Hic liquido claret, ait, quanta auctoritas, quanta excellencia, inter ceteras prophetias, ista habeatur prophetia, quae beatitudinem legenti; & audientibus, atque servantibus ea, quae in ea scripta sunt, speciali quodammodo repromittit, sponse. Haec sint pro magna auctoritate hujus libri.

78. Ansbertus. Magna auctoritas Apocalypsis.

Tamen, ut dixi in Expositione, beatitudo hic non sumitur pro beatitudine consummata, se pro illa, quae est in via, & medio ad beatitudinem, juxta illud Joan. 5. num. 3. Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. E auditu enim, & lectione sacrae doctrinae concipitur in nobis fides ut asserat Apostolus ad Rom. 1. Fides ex auditu, ex quo constat, quod non qualibet lectio, nec auditio sacrae Scripturae ad salutem confert, sed tantum illa, quae debite, ac congruenti modo fit. Ut ait D. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 73. Sacrarum Scripturarum lectio salvis vaticum esse existima, ut animos eorum, qui eam studiosè, ac diligenter audiunt, probitatis amorem ac virile robur, praelatis, & illustribus exemplis pascat.

79. Joan. 15.

Debita, ac convenientia, ut cogitatio reddat hominem beatum.

D. Isidor.

Ait Regius vates Psalm. 118. num. 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini Beati

80. Psalm. 118.

Beati

QUESTIO XIII.

Quare dicitur Beatus, qui legit, audit, ac servat verba prophetiae hujus?

Litteralem sensum horum verborum jam dedi in Expositione, moralem prosequimur. Pro quo accipite D. Bernard. Senensem: Spiritus, ait, describit Prædicatoris officium, quantum ad quatuor; Primum est zelus prædicantis, qui legit; motus obtemperantis, qui audit; virtus operantis, qui servat, & fructus considerantis, qui beatus est.

95. D. Bern.

In Prædicatore se zelus; & spes.

96. Albertus.

Secundò. Albertus Magn. Beatus, ait, qui legit docendo, ut auditoribus postea effundat, exemplo Joseph. Genes. 41. qui aperuit universa horrea Aegypti, & vendebat Aegyptiis. Haymo: In his verbis duo persona comprehenduntur, Doctorum scilicet, qui legunt, & alius exponunt: & Auditorum, qui audiunt, & retinent, & opere ea perficiunt. Legentis ergo nomine, Doctores intelliguntur, teste etiam Primaf. Et tamen illico eis subjungitur audit. Ille enim beatus est Doctor, qui audientes instruit in his, quae ad salutem suam spectant. Beatus, qui legit docendo, ut auditoribus postea effundat.

Haymo. Primofus.

Tertiò. Andreas Cæsar. Beatos prædicat, non quosvis promissit, qui vel hæc legunt, vel audiunt, sed qui bonorum operum studio intenti legunt, vel audiunt. Dicitur beatus qui legit, & audit, cum vera scilicet fide, fides enim ex auditu; ut ait Apostolus; & hoc tantum sufficit ad beatitudinem? Minimè: additur statim, & qui servat ea custodiendo, & exequendo: solus enim ille beatus est qui bonis operibus intentus, Sacram Scripturam debite legit, & audit. Primaf. Urisque servare competit: utrisque convenit, non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores.

97. Andr. Cæsar.

Agens deus de solemnitate Paschali cum Moyle, ait ei: Erit quasi signum in manu tua. Exod. 13. n. 6. Hoc signum Paschæ, scilicet Agnus, in quo Christus D. figurabatur, cur mandatur esse in manu; cur non potius in capite, seu collo appensum signum illud? Agnus nempe denotabat fidem Christi, qui pro nobis immolatus erat & idè mandatur esse in manu, quia fides debet esse conjuncta cum manuum operatione. D. Aug. q. 48. in Exod. lib. 2. Pertinet Pascha, ait, propter occisionem ovis, ad fidem Christi. Hæc autem fides operibus præponenda est, ut sit quoddam modo super manum; de qua re Apostolus loquitur, & nullum ait placere deo posse, sine fide.

98. Exod. 13.

Fides sit curis operibus.

D. August.

Genes. 4 n. 4. & 5. dicitur: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. Cur Cain munus non fuit placitum deo; D. August. lib. 15 de civitate Dei ait, quod in quo Cain deo displicuit non est facile invenire. Audi Paulum ad Hebr. 11. n. 4. Fide plurimam hostiam obtulit Deo, quam Cain. Cain & Abel habebant fidem: in quo tamen extitit differentia, ob quam Abel acceptus fuit deo, Cain verò invisus? Fide plurimam hostiam obtulit Deo, quam Cain Fides Abel plena erat dilectione, ab charitate dei, bonique operibus

99. Genes. 4.

D. August.

Hebr. 11. Fides sine operibus non placet.

D. August.

Beatitudinis radix, immaculata via est; & quoniam hanc tenet: Subdit Propheta num. 2. Beati qui scrutantur testimonia ejus: Ubi D. Augustin Non mihi videtur, ait, aliud his verbis beatitudinis genus commemoratum, quam illud, quod antea dictum est: nam scrutari testimonia Domini, eum in toto corde exquirere, hoc est, immaculatum in via, & in lege Domini ambulare. Sc. utator ergo Sacrorum voluminum, in quibus est lex Domini, is immaculatus in via, & beatus est.

Scrutator Scripturae beatus.

91. Psalm. 1.

Sacra Scriptura maxime fecundatur anima Damasc.

De justo ait idem vates Psalm. 1 num. 2 Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Ubinam erit hæc tam felix plantatio, ut arbor tam irrigua sit, ac tantum fructum afferat: In studio nempe Sacrarum litterarum, in quo anima exercitata, maxime dilatatur, ac impingescit D. damascen. lib. 4. de fide cap. 12. Quomodo, ait, arbor plantata secus decursus aquarum, sic anima divina irrigata Scriptura impingatur, & maxime fructum affert fidem Orthodoxam, & semper virtutibus foliis, id est placentibus Deo actionibus decoratur.

92. Genes. 25. Litan. Ubi Scripturae studium, ibi sanitas D. Ambr.

Dicitur Genes. 25. num. 27. Jacob verò habitabat in tabernaculis: seu ut Hebræi apud Litanum interpretantur: In gymnasis litterariis. Ubi de divinis mysteriis ac oraculis, à duobus Magistris Melchisedech, & Heber instruebatur. Ex quo D. Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel, videtur desumere discrimen, cur in Jacobo cum studio litterarum tam esset eminentis virtus: in Esau eas declinante tanta perveritas. Quid enim Scripturas tractantem, nisi sanctitas; quid Scripturas fugientem, nisi iniquitas sequeretur?

93. Psalm. 71. Cognitio Scripturae Sanctuarium.

Ait David Psalm. 72. num. 17. Labor est ante me, donec invem in Sanctuarium Dei, Ubi Litanus Sanctuarium Dei interpretatur Scripturam; ac si dicat, quod erat ei multus labor, magnum studium, magnaque industria impensa, donec devenire in cognitionem Scripturae, quam per Sanctuarium dei intelligit; ex ea enim tanquam ex Sanctuario divina reduntur oracula, & tanquam à Sanctitatis forma omnes nostrae actiones, & operationes in justitia, ac bono diriguntur. Vel Scriptura dicitur Sanctuarium, quia in ea ipsamet Sanctitas commoratur. Ait idem Propheta Psalm. 131. num. 8. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae. Pro quibus ultimis verbis Chaldaeus legit. Tu & arca, in qua est lux tua. Ac si divina lex, Sacraque Scriptura, in qua ipse est, animorum sanctificatio sit.

Psalm. 131.

Chaldaeus.

94. Joan. 10. Caietan. Justinus Scriptura suos cultores reddat divinos.

Ait Christus D. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est: Joan. 10. num. 35. Ac si interprete Caietano, ratione divini sermonis divinum homini numen communicetur Unde ait D. Iustinus Martyr in orat. 2. ad Græcos. Hæc, scilicet Scriptura, non efficit Poetas, non Philosophos reddat neque oratores excellentes: sed ex mortui obnoxii immortales, & Deos ex mortalibus facit.



operibus, quibus vacua erat fides Cain; Hinc maxime grata fuit fides Abel, non verò Cain, quia fides sine operibus in nullo estimatur. Thom. Aug. Thomas Angelicus: Pater, ait, quod Abel habuit fidem per dilectionem optimam, & ideo Cain non placuit Deo, quia non habuit charitatem.

Apoc. I. n. 4. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.

Num. 5. Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui dilexit nos & lavit nos à peccatis in sanguine suo.

VERSIONES.

Arabic. n. 4. A Joanne ad septem Ecclesias, quæ sunt in Asia, gratia vobis, & pax ab illo æterno, qui est.

D. Augustin. Et pax multiplicetur à Deo Patre, & à Filio, qui est.

Syrus Origenes. Qui est & qui erat, & qui venit.

Mariana. Qui erat, & qui futurus est, vel erit.

Arias n. 5. Et à Jesu Christo ille testis fidelis, ille primogenitus ex mortuis.

Marian. Et à Jesu Christo, qui est testis verax.

Arabicus. Qui dilexit nos, & solvit nos, atque à fordibus peccatorum nostrorum lavit nos per effusionem sanguinis sui vivifici, & aquæ.

Varablus. Per sanguinem ipsius.

EXPOSITIO III.

In initio libri titulo, ponitur Epistola Joannis ad Episcopos Asiae. Joannes, nempe Apostolus, & Evangelista, septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Quamquam Primasius, Haymon, Pannonius, Ansbertus, Joachimus, Abbas, Aretas, & alii, per has septem Ecclesias, universas Ecclesias intelligant, solet enim universitas septenario numero designari, quod septem diebus, ut ait Beda, cunctum hoc sæculi tempus evolvatur. Tamen communis est sententia Recentiorum Ribeiræ,

100. Primas. Haymo. Panon. Ansbertus. Joachim. Aretas. Ribeira.

Cornelii, Menochii, M. Joan de la Haye & Cornel. aliorum quod proprie hic intelligantur septem Ecclesiæ Asiae, quas ipse Joannes recenset hoc c. 1. num. 1. & cap. 2. & 3. has enim regendas post Paulum Joannes susceperat, & cum ipse in Pathmos insula esset relegatus; tunc multi Episcopi Asiae à gradu suæ probitatis fuerant dilapsi; ut ergo ad pristinam perfectionem revocarentur, hanc eis Prophetiam destinavit, & quod his septem Ecclesiis scribit, omnibus aliis scribit, sicut Paulus, quod ad Romanos, Corinthios, & alios scripsit, hoc ad omnium fidelium gentes scripsit, ut docent D. Chrysostom. homil. 22. ex variis in Matth. D. August. lib. 17. de civit. cap. 4. & Joannes ad has septem Ecclesias Asiae hanc Prophetiam transmittit, quia suæ directioni, ac regimini erant specialiter data; & Prælati præcipue Ecclesiarum sibi commissarum debet gerere curam. Pannonius: Locus hic docet, ait, & ostendit, quod cum omnibus salutem, & cupere, & querere debeamus, maxime tamen his, qui fidei nostra sunt crediti.

Gratia vobis, & pax. Hæc est Apostolica salutatatio, ut infra dicam à Christo accepta: sub nomine gratiæ Dei amicitia, ac favor, animarumque sanctificatio postulabatur, per pacem verò omne bonum hoc enim Hebræis significat Pax, suis imprecabatur.

Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Aliqui sub his verbis tres divinas personas formaliter intelligunt; nempe per hæc, qui est, Patrem; ipse enim ait Exod. 3. num. 14. Ego sum qui sum. Et per hæc, qui erat, Filium: In principio erat Verbum Joan. 1. num. 1. & per posteriora, qui venturus est, Spiritum sanctum qui venturus erat, ut maneret nobiscum in æternum. Joan. 14. n. 16. Aliter Alcazar. Hæc tria verba de solo Patre accipit, non de Filio de eo mox subdit, & à Jesu Christo, nec de Spiritu sancto, de eo enim pariter subdit, & à septem spiritibus, de quo quæst. 16. Melius ergo dicendum est cum Ribeira, Cornelio, ac aliis, quod illa tria accipiuntur de Deo indistincte, prout scilicet Deus communis est tribus personis, ac proinde tam de Patre, quam de Filio, ac Spiritu sancto hæc omnia, & singula sunt accipienda Sic & ait Joannes cap. 4. num. 8. Requiem non habebant dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Nec obstat illud, quod dicitur, qui venturus est, scilicet ad judicium quia tota Trinitas veniet, ut judicium peragat, judicet mundum, non per se illud exercens, sed hominem Christum, cui Deus Pater de omni judicium facere.

Et à septem spiritibus: Sunt septem primores regni ejus administrati, parati ad obsequium ejus imperium, de quo plura infra q. 16. & à Jesu Christo: De Christo, non ut deus, sed ut homo, intelligendum est, ideo sequitur: Qui dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo. Qui est testis fidelis, alii legunt, verax. Græcum cum articulo legit: Testis ille fidelis. Scilicet eximus, & magnus, qui verum testimonium apud homines dedit de patre, ejusque divinitate consilio, ac voluntate circa hominum salutem, verumque testimonium dedit de se ipso, quod esset verus filius dei, verusque Messias promissus

D. Chryf. D. August.

Pannon.

101.

101.

Exod. 3:

Joan. 1:

Joan. 18.

Alcazar.

Ribeira.

Corn.

Apocal. 4.

A Christi fidei non sunt timendi Principes terreni.

105. Si Christus pro nobis dedit suum sanguinem, nos pro Christo debemus nostrum dare.

106. Tertull. Baron.

Luc. 10.

Pacis nomine salutabatur.

107.

111.

112.

113.

114.

115.

promissus in mundo; & hoc testimonium dedit omni verbo actione opere, ac universo miraculorum genere, sanguine proprio effuso, ac morte sua Primogenitus mortuorum: id est primus resurgens ex mortuis ad vitam æternam, ac beatam. Princeps Regum terræ; Cui nempe subiecti sunt omnes Principes. & Reges terræ ac proinde vos Christi fideles, nolite timere domitianum, ac alios Reges terræ, scitote quod Christus super eos, habet dominatum ad eos compescendos, ac annihilandos. Qui dilexit nos, seu eximia charitate, & lavit nos à peccatis nostris, in ara Crucis. Sanguine suo, effuso nempe, ex supra dictis bene intelligitur, cur hic Joannes de Christo dicat, dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo; nempe, ut illius fideles ad mortem perferendam excitentur; si enim Christus ita dilexit nos, ut suum sanguinem pro nobis daret, ut eos nos à peccatis nostris ablueret; ac ab æterna damnatione eriperet justum est, ut nos pro ejus amore, usque ad effusionem sanguinis stemus, nullum mortis genus recusantes.

QUESTIO XIV.

Quare Joannes salutans Episcopos Asiae, adjunxit pacem cum gratia?

Notat Tertullianus lib. 5. contra Marc. cap. 5. ac etiam ex eo, relato Baron. ad Annum Christi 45, quod Judæi & juxta eorum morem Chæti, pacis nomine, suos discipulos salutare consueverat; eisque similiter mandans, ut cum in alienas domos introirent, Luc. 10. num. 5. in eisque manerent, pacis nomine salutarent; post Christi verò ascensionem, apostoli in salutationibus paci gratiam addiderunt: imò præmiserunt; ut Paulus in suis Epistolis, & Petrus suos salutans: Gratia vobis, & pax. Quem morem secuti sunt Sancti Patres, ut Ignatius, caterique Anti. cheni Episcopi, ac si ut ait cit. Tertull. essent Evangelizatores bonorum.

Quare ergo dicitur gratia, intelligitur gratia per Christum restituta. & à plenitudine ejus gratiæ derivata, quæ remissionem peccatorum importat, per quam reconciliamur deo, ac interiori mundamur, & renovamur ac roboramur in omni lege dei, ad præcepta ejus servanda; proinde sic gratia denotat omnem intuitum donum Spiritus Sancti, ad salutem hominis conducens; & additur Pax, que significatur interna animi quies, ac serenitas à gratia Dei proveniens, dum iusti Deo, ac rationi suos appetitus, ac passionem subditos exhibent, tunc magna tranquillitate gaudent, nihil timeant, nihil dolent, nihil cupiunt, nihil sibi de se credunt. In hoc sensu dicitur Psal. 118. n. 165. Pax magna diligenti bus legem tuam: hoc est, illis est magna quies, ac tranquillitas in animo. Sic præfata verba Psalms exponit Græcus Auctor anonimus apud Agellum: Non tam æterna pax, ait, quæ non est in nostra potestate, quam illa ex vacuitate passionum, atque perturbationum exissent, cum nulla cogitatione vitiosa, neque perturbatio quæritur, quam simul cum mutua inter se gratia illi consecuti fuerant; ad quos dicitur

est; Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo.

Secundò. Richardus Victor Postea gratia, ait, ita in pax subjungitur, quia qui de peccatorum miseria adjuvante gratia, murum peccatorum suarum, ad Deum revertendo, transgreditur, proinus inter ipsum, & Deum pax firmissima reformatur; de hoc muro in Psalmis sic ait, in Deo meo transgrediar murum. recte dicitur gratia vobis, & pax, qui extincto peccato, & assecuta gratia, statim eximia pax inter Deum, & hominem firmatur, per ipsamque gratiam pacifica reconciliatio fit hominis ad suum Creatorem. Tertull. lib. 5. contra Marci cap. 5. Deinde, ait, gratiam, & pacem non solum ejus esse, à quo prædicabatur, sed ejus qui fuerit offensus; nec gratia enim fit, nisi offensæ; nec pax, nisi belli; populus autem per disciplinam transgressionem, & omne hominum genus per naturam simulationem, & deliquerat, & rebellaverat adversus Creatorem.

Tertò. Citatus Tertullian. cum Apostolus ait, Gratia Dei, & pax, Evangelizator bonorum est. Omnia enim bona sub dei gratia, ac sub Dei pace continentur. Nulla hic divitiarum, nullaque bonorum terrenorum mentio est, ut fiebat apud Patres antiquos, ut Isaac dixit Jacobo: Det tibi Deus de rore Cali, & de pinguedine terre abundantiam frumenti, & vini. Gen. 28. n. 28. sed à apostoli alii ori spiritu ferebantur, terrena contententes, ad solum cœlestia intenti gratiam, & pacem; in quibus sunt omnia bona, suis precabantur. Quod de Dei gratia est evidens, & etiam de pace, unde Hebræi in suis salutationibus dicebant: Pax vobis, sub pace omnia bona intelligebant. Ait Isaias. 52. n. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum. Ubi Propheta id, quod dixit pacem, statim appellavit bonum.

Quartò Haymo, & Ansbertus Notandam, inquit, quod non dicitur pax, & gratia, sed præmittitur gratia, ac deinde subjungitur pax, quia nullus ad pacem reconciliationis venire poterit, nisi hunc gratia misericordia præcesserit, quia ut ad pacem Dei pervenire possimus, à Dei gratia preventi sumus. Prius Apostolus ponit gratiam, deinde pacem Gratia vobis, & pax. Cur non prius ponit pacem, quam gratiam, eum gratia nihil sit excellens, & majus, rectè prius scribitur gratia; quia nisi gratia Dei nos præveniret, ad pacem Dei pervenire non possumus; hinc gratia præcedit, pax insequitur; quia non est pax impio.

Ait Paulus Rom. 1. n. 7. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Non prius datur pax à Christo, nisi prius præcedat gratia condonantis peccata ut sic possimus habere pacem cum Deo. Anselm. Cum enim per gratiam remissis peccatis absumpta fuerint inimicitia, restat, ut pace adheramus ei, à quo nos sola peccata dirimebant.

Dat Dominus regulam suis discipulis, quam debeant observare alienas domos ingredientibus, ait illis: Dicitur Pax huic domui, & si illic fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra, sin autem ad vos revertetur, Luc. 10. n. 5. Nō dicitur absolute, quod ibi requiescet pax, sed si illic fuerit filius pacis: Si ibi nempe fuerit homo pacis dignus, extincto nempe peccato, & in amicitia dei constitutus, tunc si ibi fuerit talis filius,

108. Richard.

Peccato per gratiam suam, blato pax & reconciliatio fit inter Deum, & homin. Tertull.

109. Tertull.

Sub pace omnia bona.

Isai. 52.

110. Haymo. Ansbertus.

Gratia Dei debet prævenire, ut ad pacem Dei venias.

111. Rom. 1.

D. Anselm.

112.

Luc. 10.

Peccatum, & pax non comparantur.